










DA BOX

No 1221. a–d.





= LN 658 M a
LN 1000 M b
LN 94 ex. 2 cc d
LN 711 M e



CARMEN DE ACTV CELEBERRIMO: IN QVO SACRÆ THEOLOgiæ doctor est appellatus: M. Paulus Mathias: Philosophus doctus: Theologus pius: professor eximius: Episcopus summus.

Scriptum ab
Isaaco Mauritio Gildeleiano.



HAFNIÆ,
Excudebat Laurentius
Benedictus.
1570.


Andidus octipedis lucens in imagine Cancrj,
Auratas Titan ſparſit ab axe comas.
Et ſua decreſcens argentea cornua Phœbe,
In gemino abſcondit ſydere Læda tuo.
Qui per ſydereos trahitur ſerpentib. orbes:
Extulit ingentj pondere Libra ſenem.
Tum Deus Ægiochus multumq; diuq; natauit:
Mollib. immerſus Deucalionis aquis.
Threicius, mortis violentæ cauſa, Tyrannus:
Virginis ardenti captus amore fuit.
Vt Venus in Lunæ, ſic nuncius ille deorum
In Phœbi voluit prima tenere domo.
Cùm dij tam varias formas ſubiere ferarum:
Et fuit in curſu Lux abitura ſuo:
Tunc Paulo varijs doctrinæ dotib. aucto:
Impoſitum magni nomen honoris erat.
Quòd, quamuis dignum longè meliore Thalia,
Diſparib. pergam concelebrare modis.
Hoc poſcit Virtus, doctrina, laborq; laborum
Maximus, illius, quem memorabo, viri.
His igitur noſtris tam duris annue cœptis,
Phœbe, ſacer Venæ fons & origo meæ.
Scis bene non hominis cuiuſuis eſſe, deorum
Officio fungi, & rite mouere lyram.
Nemo poteſt rectè cantandi munus obire:
Te ſine, qui vatum diceris eſſe deus.
Altius atq; decet non vatum quis canit vnq̃:
Si cantando ſtudet, te præeunte, ſequi.



Tu modò præcurras, ita te ſequar ordine primus:
Æmulus vt videar carminis eſſe tui.
Vrbs mercatorum placido placidiſsima portu
Eſt: & regali nobilis arce locus.
Præbuit hic ſedem medio quaſi ventre Camœnis:
Quas nunc vt fœtum mater alendo fouet.
Ipſius ex aluo multos prodire videbam:
Qui donis alios exuperâre ſuis.
Non ſecus, ac olim, cum pinea clauſtra latenter
Laxauit, multa nobilis arte Sinon:
Incluſoſq; vtero Danaos patefecit: & ipſa
Reddidit armatos machina foeta viros.
O pietas nullis intermoritura diebus:
O Reges ſuperans Rex pietate pios.
Cuius Res humeris incumbit publica: certè
Nulla tuis meritis æquiparanda ſcio.
Pierium ſummo cœtum dignaris amore:
Et nullis prorſus reb. egere ſinis.
Atq; vtinam poſſent omnes agnoſcere: quanta
Accepiſsent te diſtribuente bona.
Hoc ſacra Caſtalidum Muſarum turba fatetur:
Munificos omnes te ſuperare viros.
Tu data confirmas Academica iura Lycæo:
Quando ſinis dignis nomina digna darj.
Seruari uoluit ritus genitor tuus illos:
Cùm noſtræ leges has dedit ipſe Scholæ:
Quas pia poſteritas ſeruabit: quando per actо
In ſtudijs curſu, quis ſua dona feret.

Qui pietate pium conare referre parentem:
Tam pia nequaquam tollere iura velis.
Aureus vt Titan caput altius extulit: ante
Quàm summa volucres flexit ab arce feras.
Confluxere citò, spectandi causa celebres
Ritus, quos iuuenes mouerat atq; senes.
His omnes mixti, quib. hæc erat actio chara:
Et sacra quæ Musis dedita turba fuit.
Plus aliis diuûm donis Hemmingius auctus:
Cui fert, doctrinæ Dania quicquid habet:
Ascendit primus positam de more Cathedram:
Expediens quod erat temporis atq; loci.
Accepturus eo nomenq; decusq; ferente:
Vicina præsul sede locatus erat.
Qui circumstabant arrectis aurib. omnes:
Hic locus intentos esse iubebat eos.
Nam latiis verbis hæc ornamenta daturus:
Surgebat magna Vir pietate grauis.
Qui potuit Solus de tantis dicere rebus:
Pro veteri veniam more petebat eam:
Vt sibi communi plausu conferre liceret:
Doctoris docto nomen & arma viro.
Qui tunc forte aderant, fremitu plausuq; secundo
Ostendunt, Paulum tale decere decus.
Post voces alias, hæc est audita: politam
Egregio mentem dogmate Paulus habet.
Percipiet fructum maiorem præsule Paulo:
Quæ iacet vndiuago Dania cincta marj:

Quam

Quàm doctore tulit Tharsus clarißima Paulo:
Quamuis hic fuerit perbene doctus homo.
Nec tantum Paulus Romæ damnum dedit olim:
Nunc Paulus patriæ commoda quanta dabit.
Quos apud hunc fructus carpebat sæpe iuuentus,
Non cano: Sed meßis quos opulenta feret.
Post hæc dicta, loco sic est Hemmingius alto
Exorsus: rerum Paulus vbiq; sapit.
Quod felix igitur sit, vbiq; docere licebit:
Et quod idem munus postulat addo decus.
Sic fatus, propter quas ascendêre Cathedram:
Exposuit causas Vir bene doctus eas.
1 Quandoquidem, dixit, sedes est illa docentum:
Officij debet quenq; monere suj.
Hic locus aßiduos, atq; integritate probatos:
Et pietate graues exigit vsq; viros.
2 Hoc ita commonito librum proponit apertum:
Et iubet, vt rursus sæpe relecta legat.
Nam velut à scoria flammis discernitur aurum:
Sic & doctrinam Lectio multa probat.
3 Pileus impositus capiti est de more rotundus:
Dißidium nocuum forma rotunda vetat.
4 Qui digitum spiris multis ligat annulus: ille
Libertatis erit non male ficta nota.
Et sicut sponsus sponsæ coniungitur illo:
In cuius signum foederis arra datur:
Sic & doctrinæ tam firma lege docentes:
Perpetuo iunctos annulus ille monet.

Oscula dat socius socio persæpe fidelj:
Hoc solet officio crescere verus amor.
Sed quoniam infelix noster labor est, & inanis:
Admôrit faciles in Deus ipse manus.
Post tales igitur ritus in vota vocabat:
Vnius & verj nomina trina dej.
Quem laudat rerum cunctarum summa potestas:
Ardenti supplex voce rogauit eum:
Vt pia successu felici cœpta iuuando
Seruaret cultus semina vera suj.
Tunc omnes illi sunt omnia læta precatj:
Hoc cuius virtus nomen adepta fuit.
Quod simul vt facerem, monuit me conscia recti:
Et bene quæ facti mens erat vsq; tenax.
Non parere nefas animo tam iusta monenti
Esset: &, his votis iungere nulla scelus.
Quare de merito cognomine gratulor illi:
Quod iam cum magna laude fauoris habet.
Si quid vota valent: ea si pia numina curant:
In votis primum debet id esse meis:
Vt, velut insignem parit huic cognomen honorem:
Sic etiam multis commoda multa ferat.
Qui fugitis vigiles, procul hinc estote, labores:
Et quorum virtus pectora nulla mouet.
Nam sine virtutis studio, fraudabitis ipsi,
Vos omni famæ nobilitate bonæ.
Non decet ignauos alicuius culmen honoris
Tangere: dignus ad id nullus ineptus erit.

Et licet indignos dignis sors præferat: atq;
Collocet in summo corpora magna loco:
Non tamen est, quod sorte venit durabile: semper
Sors repetit, tibi quæ mutuò cunq; dedit.
At qui contendit virtutib. atq; labore:
Parnaßi primus prima tenere iuga:
Huic inquam veræ debentur præmia laudis:
Hunc quoq;, ne dubita, gloria vera manet.
Difficiles aditus quis dixerit eße, fatebor:
Sed quid non vinci sedulitate potest?
Mille sagax vsus tentando limina pandit:
Inuia conanti scandere nulla via.
His studijs præsul, cuius iam gloria magna est:
Tentauit summum laudis adire gradum.
Extremum metam veniße pudebat ad illam:
Quam nunc in sacro monte Helicone tenet.
Multi sudores campos fecere patentes:
Arduitas omnis victa labore fuit.
Hîc qui suscepti posuisti maxima cursus
Pondera: quem tibi nunc eße putabo parem?
Te meritò, te Phœbus amat: gratißima Phœbo
Est virtus, & mens artib. aucta bonis.
Laurigeræ gaudent, tua lumina cernere Nymphæ:
Aonias inter te iuuat eße deas:
Et tu pieridum fœcundo ludis in horto:
Et tua Castalius limpidus ora rigat.
Dum sudant alij, cursusq; fatigat anhelos:
Ignea dum torret multa palata sitis

Vnde

Vnde fit, vt tantos qui non perferre labores
Ardent: torpentes longius ire negent.
Hìc opus est, istos qui dura voce lacessat:
Et trucib. stimulis corpus inane premat.
Non secus ac tardi domitor calcarib. armos
Pungit equi: donec currere cernat eum.
Sed qui propositam certant contingere metam:
Sisyphio saxo dum grauiora ferunt.
His debes, & vis porrectam ostendere dextram:
Et veræ cupidos laudis amare viros.
Vt non succumbant duro certamine pressi:
Aut aliis, quæ sunt deteriora, malis.
Sed prius optatæ tangant fastigia sortis:
Quàm ponant tritæ pondera dura viæ.
Hunc precor atq; tibi successum donet, & illis:
Qui regit atq; iuuat tam pia facta deus.

